

17  
1.  
2.  
3.  
17  
1.  
2.  
3.  
4.  
5.





E. 29. num. 18.

5. JOH. ULRICI CRAMERI.

J. U. & PHIL. D. AC IN ACADEMIA MARBURGENSI  
PROFESSORIS JURIS ORDINARI, 11

PROGRAMMA 1733, 2.

DE

ÆQVITATE

QUANTITATIS DOTALITII  
VIDUARUM ILLUSTRIVM

ET

NOBILIVM,


QVO

LECTIONES PRIVATAS

AD


JUS FEUDALE

INTIMAT.



MARBURGI CATTORVM,

TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÛLLERI, ACAD. TYPOGR.



P. 406



JOH. JURRIGI CRAMERII

U. & P. B. D. IN ACADEMIA MARIENBURGENSI  
PROFESSORIS JURIS ORDINARI

PROGRAMMA

DE

ÆQUITATE

QUANTITATIS DOTALIUM

VIDUARUM ILLUSTRIUM

ET

NOBILITUM

DE

LECTIONES PRÆLIMINARES

AD


JUS FEUDALE

PRÆLIMINARIS


IN VITIS ET VINIS

MARIENBURGI

PHILIPPO CASIMIRO ELECTORE







Onvenire solent inter se conjuges in Germania dum pacta dotalia conficiunt, ut mortua uxore marito superstiti dos; mortuo autem marito uxori superstiti una cum dote donatio propter nuptias remaneat. (a) Ex hoc more enatum est Jus, vi cuius Vidua inter Nobiles & Illustres aut dotem cum donatione propter nuptias, aut si melius sibi videretur prospectum utraque in Feudo relicta dotalium (b), sortis nempe ex dote & donatione propter nuptias composita duplicatas usuras, singulis annis quoad vixerit, à successore feudali exigere valet (c). Ita si dos fuerit bis mille thalerorum & donatio propter nuptias ejusdem quantitatis; vidua Illustris & Nobilis aut statim mortuo marito accipit quater mille thaleros, aut singulis annis, quamdiu vixerit, ducentos, si usurae ordinariae fuerint quincunces, seu quinque procentum, quemadmodum in Imperio Romano receptum. (d) Quoniam ad usurariam pravitatem legibus improbatam refertur, (e) si quis ultra definitam quantitatem

A 2

usu-

(a) STRUV. Ex. 30. §. 19. ibique Müller & ad §. 57. (b) HENELIUS de Dotalio §. 23. p. 83. (c) COCCEJUS in Jurisprud. publ. c. 28. n. 10. Per-Illustris Dn. de LUDOLPH Tr. de J. F. I. S. II. M. II. §. 4. WESTPHAL Quaest. Feud. sect. 4. c. 5. p. 307. (d) R. I. de anno 1577. tit. von Wucherl. Contracten. (e) vid. Ccl. Dn. BOEHMERI Jus Digest. l. 22. Tit. 1. §. 4. & 8.



ufuras exigit veluti decem pro centum; ideo enata est quaestio, utrum duplicatae usurae in dotalitio sint aequae, an vero iniquae. In qua decidenda Doctores affirmativam communiter amplectuntur, paucis in contrariam abeuntibus, quos delirantes vocat MOLINÆUS (*f*). Atat in evincenda aequitate non afferunt, quae omnino satisfaciunt. Plerique sequuntur sui temporis Celeberrimum Ictum D. SIMON PISTORIS (*g*), quos inter HEIGIUS (*h*) & HENELIUS (*i*), qui cum perpendisset, sortem per usuras absorberi; Dotalitium cum redditibus ad vitam comparat. Quemadmodum itaque redditus vitales usuras ordinarias non alia de causa superant, quam quod fors non repetatur; ita in Dotalitio quoque duplicatas usuras ex eadem causa aequas censendas esse existimant. Quamvis vero supponamus reddituum vitalitiorum aequitatem satis evictam, ut ab adversariis in dubium vocari non possit; hac tamen comparatione non aliud efficitur, quam ut constet, dotalitium usuris ordinariis majus esse debere, minime autem inde conficitur, usuras duplicatas esse in omni casu aequas, cum reddituum vitalitiorum quantitas non sit constans quemadmodum dotalitii, verum potius variet, pro diversa emtoris eorundem aetate: id quod etiam agnovit GAILIUS (*k*). Quamobrem, si dotalitium emtioni reddituum vitalitiorum aequiparari debet, diversa quoque pro diversa viduae aetate quantitas ejusdem statuenda. Etsi enim HENELIUS (*l*) neget, in determinatione quantitatis dotalitii scrupulose habendam esse rationem aetatis viduae, propterea quod mors incerta sit, ac tam facile juvenem rapiat quam senem; haec ipsa tamen ratio non evincit, quod evinci debebat, cum tantummodo inde colligatur, determinatio-

(*f*) Tr. de Usuris n. 473. (*g*) Sim. Pistor, post Conf. Modest. Pistor. p. I. Confil. 27. n. 8. & passim ibique Mordeyfen p. 1033. (*h*) Quaest. 27. n. 9. seqq. (*i*) c. l. c. 6. §. XI. p. 137. seq. (*k*) Obl. Pr. VIII. n. 4. (*l*) c. l. §. 16. p. 152.



nationem quantitatis dotalitii fieri non posse veritati convenientem, minime autem hinc sequitur, quod in probabili æffirmatione non habenda sit ratio ætatis: immo si vel maxime admittatur (quod tamen admitti non posse ex modo dictis constat) in determinanda quantitate dotalitii ad ætatem viduæ respiciendum non esse; non tamen hinc sequitur duplicatas usuras generaliter ad æquitatem accedere. Non nego tale quid civiliter constitui potuisse, quamdiu modus quantitatem istam æquitati convenienter determinandi ignoratur; sed de eo jam non est quæstio, quantum condonandum sit ignorantia invincibili; verum de eo jam disquiritur, an duplicatæ usuræ vel quænam aliæ, stante hypothese JCtorum de reducendo dotalitio ad redditus vitales, sint æquæ. Meum igitur est eam in rem penitus inquirere, ut specimine hoc comprobem, quantum sit præsidii in Philosophia & Mathesi methodoque accurata positum ad jura nostra penitus inspicienda, lapsusque communes Doctorum solide dijudicandos & evitandos. Agedum itaque videamus, quomodo determinari possit quantitas quæsitæ, si numerus annorum, quem vidua a morte mariti explebit, foret certus. Ponamus numerum istum esse = n, dotem illatam aut aggregatum ex dote & donatione propter nuptias (prout casus tulerit) seu sortem = d, pensionem annuam viduæ solvendam = u, rationem sortis ad sortem usuris anni primi auctam = 1 : m; erit fors usuris aucta = md. Quodsi hinc subtrahatur pensio annua, relinquetur loco sortis anno secundo = md - u. Quare si fiat 1 : m = md - u : m<sup>2</sup>d - mu; erit m<sup>2</sup>d - mu fors secundi anni usuris ejusdem aucta. Hinc si subducatur pensio annua pro anno secundo, relinquetur loco sortis pro tertio anno m<sup>2</sup>d - mu - u. Quodsi denuo fiat 1 : m = m<sup>2</sup>d - mu - u : m<sup>3</sup>d - m<sup>2</sup>u - mu; erit m<sup>3</sup>d - m<sup>2</sup>u - mu fors usuris tertii anni aucta. Ablata igitur inde pensione annua supererit pro for-



te anni quarti  $m^d - m^u - mu - u$ . Unde pro sorte usuris aucta anno quarto reperietur ut ante  $m^d - m^u - m^2u - mu$ . Et eodem modo erit fors usuris aucta anno quinto  $m^d - m^4u - m^3u - m^2u - mu$ , atque ita porro in infinitum. Quodsi formulas pro quantitate sortis usuris aucta pro singulis annis attenta mente consideres; illico, constabit a facto dotis vel aggregati ex dote ac donatione propter nuptias in exponentem rationis inter hanc sortem & eandem usuris annuis auctam ad eam dignitatem elevatum, cujus exponens est numerus annorum datus, subtrahendam esse progressionem geometricam, cujus terminus minimus est exponens rationis inter sortem cujuslibet anni & sortem usuris annuis auctam, maximus vero dignitas hujus exponentis, cujus exponens unitate differt a numero annorum dato, ducta in pensionem annuam, ut prodeat fors anni dati usuris annuis aucta. Quoniam itaque numerus annorum, quem vidua a morte mariti vivendo explet  $= n$ ; erit fors usuris annuis aucta ultimo anno, quo moritur  $m^n d - m^{n-1} u - m^{n-2} u - m^{n-3} u - m^{n-4} u - m^{n-5} u$  &c. in infinitum, donec scilicet in casu particulari exponens ipsius  $m$  fuerit 1, seu numerus ex  $n$  subtractus relinquat unitatem. Enimvero anno mortis fors usuris annuis aucta pensioni annuæ æqualis est, cum nihil relinqui debeat, quod viduæ debetur; habemus itaque  $m^n d - m^{n-1} u - m^{n-2} u - m^{n-3} u - m^{n-4} u - m^{n-5} u = u$ , adeoque  $m^n d = m^{n-1} u + m^{n-2} u + m^{n-3} u + m^{n-4} u + m^{n-5} u$  &c.  $+ u = (m^{n-1} + m^{n-2} + m^{n-3} + m^{n-4} + m^{n-5} + \dots + 1) u$ . Quoniam series, in quam ducitur  $u$  est progressio geometrica, cujus terminus 1, exponens rationis  $m$ , terminus maximus  $m^{n-1}$ ; erit  $m^{n-1} + m^{n-2} + m^{n-3} + m^{n-4} + \dots + 1 = \frac{m^n - 1}{m - 1}$  (§. 121 Analyt. finit. Wolf.). Quare

$$m^n d (m - 1) = m^n u - u \text{ seu } m^{n+1} d - m^n d = m^n u - u. \text{ Est itaque } u:$$

$$d = m^{n+1} - m^n : m^n - 1, \text{ hoc est, pensio annua est ad dotem seu}$$

aggre-



aggregatum ex dote & donatione propter nuptias ut exponens rationis inter sortem simplicem & eandem annuis usuris auctam elevatus ad dignitatem, cujus exponens unitate superat numerum annorum, per quem pensio solvenda, demta inde ejusdem exponentis dignitate uno gradu inferiore, ad eandem posteriorem dignitatem unitate multatam. Unde patet, quomodo pensio annua fit determinanda, data sorte dataque ratione inter sortem & eandem usuris unius anni auctam una cum numero annorum, quibus pensio solvenda. Est scilicet  $u = d \cdot \frac{m^{n+1} - m^n}{m^n - 1}$ . Ita quidem certo determinari

poterit pensio annua, si numerus annorum, per quos solvi debet, certus fuerit. Enimvero cum non constet, quot annos vidua sit in vivis extitura, termino vitæ soli Deo cognito, nemini autem mortalium perspecto, quantus sit numerus  $n$  ignoratur. Est autem per artificia analytica hodie cognita atque perspecta non impossibile sit, numerum hunc probabiliter determinari, haud quaquam tamen sufficit, ut is in formula præcedente pro  $n$  substituatur, cum pro ejus diversitate conveniens dotalitii quantitas non sit eidem proportionalis. Alia igitur via incedendum, nisi vim inferre velis principiis in istiusmodi supputationibus probabilibus receptis. His si satisfacere volueris, quemadmodum fieri debet, cum ea firmissimo nitantur talo; primum per experientiam conferendo scilicet catalogos plures demortuorum definiendum est, quot ex mille infantibus natis moriantur intra 6 primos annos & quot deinceps singulis decenniis, donec nullus amplius eorum superfit: constat enim intra primos 6 annos mori plurimos, deinde continuo pauciores, quemadmodum præter alios dudum ostendit Cel. Anglus HALLEJUS (m).  
Cum

(m) in Miscellaneis curiosis Lond. 1705. editis. p. 287.



Cum enim intra mille istas personas etiam vidua contineatur, adeoque certum sit, eam non amplius fore in vivis, ubi omnes fuerint demortui, ob incertitudinem tamen quem locum in hoc moriturorum serie sit occupatura, æque facile mori posse supponatur singulis annis, numerus personarum singulis annis morientium indicat casuum numerum, quibus mori potest quovis decennio. Hinc jam porro investiganda est quantitas dotalitii pro singulis annis in quolibet decennio, supponendo scilicet in regula superiori pro  $n$  successive 1, 2, 3, &c. 10, ut prodeant quantitates debitæ, si vidua superviveret marito annum unum, vel annos duos, tres, quatuor &c. decem. Similiter pro singulis annis decennii secundi supputandæ sunt quantitates dotalitii, quales nempe forent, si vidua superstes esset marito annos 11, 12, 13, &c. 20. Nec absimili modo investigantur quantitates dotalitii pro annis decenniorum reliquorum, quæ adhuc supersunt, donec certo constet viduam non amplius in vivis fore. Calculis hæc longe operosissimis superatis inter quantitates in singulis decenniis inventas quærendum est medium arithmeticum per regulas Mathematicis notas, ut prodeant quantitates probabiles pro singulis decenniis, in quibus vidua æque facile mori potest. Hæc tandem per regulam Hugenianam ( $n$ ) singula decennia in singulos numeros casuum, quibus singulis decenniis viduam æque facile mori posse per antecedentia supponitur, & qui quomodo inveniuntur paulo ante docui: summa vero productorum hinc prodeuntium dividitur per summam omnium istorum casuum. Ita nimirum demum prodibit quantitas dotalitii ex lege probabilitatis pro ætate viduæ eidem assignanda. Nemo a me requisiverit, ut exemplo aliquo regulam hanc illustrem: tot enim tantisque calculis ab-

solven-

(n) in Tr. de Ratioc. in Alex Ludo propof. 3. hæc dotalitii dotalitii si (n)



solvendis nec otium suppetit, nec si suppeteret eos angustia  
 spatii præsentis caperet. Sufficit, ex dictis sole meridiano cla-  
 rius elucescere difficultatem quantitatis dotalitii determinan-  
 dæ, ut unus quisque abunde perspiciat impossibile fuisse Do-  
 ctoribus, æquitatem hujus quantitatis definire. Sufficit certo  
 jam constare, quod in dubium vocavit HENELIUS, ætatis  
 viduæ rationem habendam esse in hac quantitate determinan-  
 da, si eam æquam probare volueris. Immo sufficit non am-  
 plius in dubium vocari posse, quantitatem dotalitii, si æqua  
 censi debet, non posse esse constantem, consequenter utut  
 fieri possit, duplicatas usuras uno in casu ad æquitatem pro-  
 xime accedere, eas tamen in plurimis ab eadem recedere de-  
 bere. Atque hæc quidem sola abunde probant, tractationem  
 præcedentem non inutiliter fuisse institutam. Equis enim  
 inutile dixerit, quod ad terminandas controversias Docto-  
 rum facit? Sane nemo non desiderat, jura fieri certa, nec  
 amplius disceptationibus Dd. obnoxia esse. Neque vero id  
 vitio verti potest, si nisi difficilibus discussionibus eo perve-  
 niri potest. Veritas enim sæpius in profundo latet, nec eam  
 quisque, quandocumque visum fuerit, viribus quibuscumque  
 inde extrahere valet. Gratias potius referre debent Docto-  
 res singulis, qui clarissime demonstrant, cur ea quæ inter  
 ipsos controversa sunt, istiusmodi rerum cognitionem præsup-  
 ponant, ubi evidenter decidenda, à quibus ipsimet fuere  
 quam longissime remoti, immo ad quam ipsorum ætate nul-  
 lus adhuc pervenire potuit. Ita enim rectius consulitur famæ  
 eorum, ut salva maneat auctoritas, quam in cæteris ipsos ha-  
 bere, Jurisprudentiæ interest. Neque est quod regeras non suf-  
 ficere, ut quis ostendat quædam in jure nostro minus recte  
 determinari, nisi simul doceatur, quomodo rectius determinari  
 possint: neque sufficere, ut quis doceat, quomodo quid mu-  
 tari possit in melius, nisi quod melius esse evincitur, idem  
 quoque



quoque praxi ac fori usui respondeat. Neque enim unum habeo, quod ad hæc reponam. Ponamus nimirum fructum longæ ac perdifficilis discussionis non esse alium, quam ut convincamur, quæstionis controversæ decisionem nondum esse in potestate nostra positam: æquis inutilem pronunciare ausit hanc cognitionem, qua convincimur inanem esse omnem ea de re disputationem, atque adeo ab ea abstinendum, ne tempus inutiliter teramus, quod utilius in iis consumere licet, quorum tractatio conatus nostros non eludit? Æquis inutile pronunciaverit certo constare quænam adhuc ignorentur, & qua de causa ignorantia aliqua pro invicibili habenda, ne audeamus, quod viribus nostris impar est, vel ubi easdem non superat, ut videamus qua via sit eundem, siquidem à scopo aberrare noluerimus? Corruit itaque prima objectio, quæ me ne quidem ferit, utpote qui docui, quomodo æqua Dotalitii quantitas in Doctorum hypothesebus sit determinanda. Neque vero mihi magis metuo ab objectione altera quasi modus iste in praxin recipi minime possit, cum ipsemet ingenue confessus fuerim, tantas esse calculi tricas, ad quas devorandas ne mihi ipsi temporis spatium jam suppetit, ut saltem exemplo aliquo declarem, quantum æqua dotalitii determinatio ab usuris duplicatis recedat. Quamvis enim ea non sit regula, quam in praxi communi & in foro tanquam normam quantitatis dotalitii pro ætate Viduæ determinanda recipere licet, nondum tamen hinc sequitur, quod ad illam aptari non possit. Neque existimandum est de futuros calculi peritos, qui tantum in se laborem lubenter susciperent, modo auctoritate superiorum constitutum esset, æquitatem ea in re observari, quantum datur. Methodus inveniendi Logarithmum numeri cuiusdam dati, ea præsertim, qua usi sunt primi eorundem inventores, non minus perplexa est, nec pauciores ambages requirit, quam regula illa, per quam æqua dotalitii quantitas investigari potest: non ta-

men



men ideo Logarithmorum inventum praxi minus respondet. Tædia calculi nonnisi devoranda fuere illis, qui numerorum Logarithmos herculeo labore supputarunt, supputatos vero in Tabulas retulerunt: cæteri jam Tabulis istis utuntur absque ullo labore, quibus inutile fuisset Logarithmorum inventum, si Tabulis istis destituti ipsimet in casu dato eas demum supputare debuissent. Similiter Astronomi in investigandis Planetarum theoriis operam consumentes & formam calculi geometrici pro supputandis illorum locis inde exsculpenes regulas tradunt, quæ ad praxin communem inutiles sunt propter nimias ambages, quas parit earum applicatio. Non tamen ideo inanem operam in illa calculi forma excogitanda consumere: etenim ea profuit ad Tabulas Astronomicas condendas, quarum ope facilius multo evadit supputatio. Eadem vero medela afferri potest malo præsentis. Etenim eo, quem in superioribus explicavi modo computari possunt Tabulæ, in quibus pro diversa Viduæ ætate quantitas Dotulitii determinata reperitur. Ubi Tabulæ istiusmodi profiterint, nemo amplius ea tædia experiri tenetur, quæ illarum conditor semel devoravit bene de publico meriturus, sed jam nullo negotio earum auxilio habetur, quod desideratur. Atque hoc pacto sufficienter demonstravi, à praxi & usu fori minime abhorrere, quæ in superioribus tradidi. Ridiculum vero prorsus foret, si quis ea improbaret hoc nomine, quod talia sint, quæ à Jurisperitis Summis intelligi nequeant. Quis enim à me desideraverit, ut veritatis naturam, quæ immutabilis necessitatis est, divinamque habet originem pro arbitrio mutem, ut ejus fiant capaces, qui per naturam rerum eandem capere nequeunt? Discant hinc potius, qui ad talia animum nondum adverterunt, ut quis jura nostra intimius perspicere & in Jurisprudencia legislatoria omnes prudentiæ partes adimplere possit, plura esse addiscenda, quam quæ in Doctorum volumini-



minibus continentur, & quæ praxin Juris utcunque imperfecti exercentibus sufficere debent, quod plura ab iis requirere non possis. Quando in æquitatem Legum penitius inquirimus id in usum potissimum Jurisprudentiæ legislatoriæ fieri censendum: quæ ubi magis fuerit exulta superiorum auctoritate & jura in civitate rectius constitui, ac constituta in foro observari poterunt. Cæterum istiusmodi disquisitiones, è veterno suo excitare debent Doctores, ne sibi persuadeant Jurisprudentiam ad id perfectionis culmen jam eventam esse, ut nihil amplius desiderari possit, atque intelligant, non minus a Jurisperitis continuo nova inveniri posse, quam Mathematicis ac Philosophis, quemadmodum in Oratione Inaugurali, ex instituto docui. Quamobrem cum Jus Feudale explicare constituerim, me non pigebit omnem adhibere operam, ut privata industria quantumvis operosa, singula discutiam, antequam ea auditoribus meis proponam, ut certi esse possint, non alia sibi proponi, quam veritati consentanea, & rigidissimum rationis Tribunal minime respicientia. Non minus tamen dabo operam, ut ad captum Auditorum singula aptem, ne magis ad ostentationem, quam ad utilitatem docere videar. Elegi huic instituto tanquam maxime accommodas J.Cti Illustris ac merito suo Celeberrimi SCHILTERI Institutiones Juris Feudalis, quæ nec concinna brevitate peccant, cum in iis nihil prætermisum sit, quod ad decidendas quæstiones Feudales in Foro obvias facit, ac præterea id singulare habeant, quod cum jure Longobardico consuetudines Feudales in Foris Germaniæ attendi solitas ubi vis conjungant. Harum Prælectionum initium fiet die 25. Novembris Hora II. Pomerid. eademque Deo clementer annuente solerter posthac continuabuntur. Dabam Marburgi Cætorum die XV. Novembris A. O. R. M DCC XXXIII.



Marburg, Diss., 1731-35

ULB Halle  
005 359 929


3











B.I.G.

Farbkarte #13

E. 29. num. 18.

JOH. ULRICI CRAMERI.

J. U. & PHIL. D. AC IN ACADEMIA MARBURGENSI  
PROFESSORIS JURIS ORDINARIJ,

PROGRAMMA 1733, 2.

DE

ÆQVITATE

QUANTITATIS DOTALITII  
VIDUARUM ILLUSTRIVM

ET

NOBILIVM,


QVO

LECTIONES PRIVATAS

AD

JUS FEVDALE

INTIMAT.



MARBURGI CATTORVM,

TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYPOGR.

